

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitum


**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Widmung

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203



DEDICATIONES PRIORES PRIMO
HARMONIÆ TOMO PRÆ-
FIGENDÆ.

LIBRI PRIMI DEDICATIO.

ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO
FRIDERICO WILHELMO, SAXONIÆ
DUCI, ELECTORALISQVE DIGNITATIS ADMI-
NISTRATORI, ATQVE TUTORI, LANDGRAVIO THURIN-
GIÆ MARCHIONI MISNIÆ, &c. DOMINO
SUO CLEMENTISSIMO,

Salutem in Domino sempiternam.



Legans & venusta politici Magistratus pictura extat
in Daniele Propheta, *Princeps illustrissime, Domine cle-
mētissime*, quæ talis est:

Offert Deus illuc pervisum potentissimo Babylo-
niorum Regi spectandam arborem proceram & ge-
nerosam, quæ ramis suis ad cœlum usque pertingit,
& ab extremis universæ terræ terminis conspici pot-
est. Rami ejus usque adeo sunt firmi & pulcri, ut
aviculæ in ipsis nidificare & feræ sub ipsis degere possint. Fructus denique fert
ita copiosos & generosos, ut alendæ omni carni sufficiant. Hanc arborem Daniel,
Propheta Dei sapientissimus, & somniorum fatidicorum explicator solertiſſi-
mus, de ipso rege interpretatur, docet eum, qui regnum glorioſum, felix, poten-
tiā & majestate amplum consecutus sit, tum fide erga Deum, tum beneficis erga
homines frugiferam illam arborem imitari debere. Quod niſi faciat, futurum
effe, ut ipſe excindatur & extra regnum abjiciatur. Sicuti ſaþe videre eſt, maxi-
mas arbores, easq; plurimis & robustissimis ramis longè lateq; ſparſis, ante quam
ad iſtam maturitatem perveniant, unâ horâ radicis everti.

Iſa. 61.
Matth. 7.

Jucundissima hæc eſt imago, & quæ pias mentes plurimum oblectet. Ete-
nim plantavit Deus initio hortum amoenissimum, in quem hominem collocavit,
non tam ut eum coleret & custodiret, quam ut in eo voluptate perpetuâ fruere-
tur. Sed poſtquam idem homo ſuâ inobedientiâ ſibi atque posteris paradisum
clauſit, misericors & cœlestis pater ex mortalium genere novum Paradisum plan-
tare iſtituit, hoc eſt, voluit ſibi ex hominibus Eccleſiam colligere, in qua sancti
Dei homines frugiferas arbores fide atque virtutibus diſcernerit imitari. Hinc eti-
am Propheta Iſaias Eccleſiam comparat horto, in quo Deus plantet iuſtitiam &
laudem coram omnibus gentibus: Et Salvator noſter fideles vocat bonas arbo-
res, quæ præclarissimos pietatis & virtutum fructus proferant, ut doceat unum
quemque,

EPISTOLE DEDICATORIAE.

quemque in hisce terris hoc unicè optare debere , ut arbustum aliquod in spirituali hoc paradiſo esse & manere,& sancti hujus horti culturam plantando, rigando, colendo, piè & pro viribus juvare possit. Id ubi consecutus est , nihil est, quod in hac ærumnarum valle majus, amplius vel sibi honorificentius desiderare queat.

Sed ut in his terris Reges, Principes, & quicunq; in potestate positi sunt, præ aliis eminent: Ita etiam in hac spirituali cultura Ecclesiastici horti præ aliis operam dare debent, ut sint arbores præstantiores & generosiores, quæ plures & copiosiores pietatis, iustitiae & reliquarum virtutum omnium fructus, cum Deo tūm hominibus gratos, faciant. Cum enim sceptrum, coronam, gladium & reliqua civilis gubernationis ornamenta, ipsa scilicet colendi hujus horti instrumenta, ad quæ nos inferiores homines stupere solemus, Reges & Principes à Deo ipso acceperint: dicitur propterea sit necesse est, qui neget ipsoſtis vicissim ad Dei honorem & sinceriorem hujus horti cultum promovendum pro virili uti debere. Vicissim, cum subditi sui commodi & quietis causā fēse uni alicui capiti submittant, & quasi in commune obœdientiæ caput conspirent, propterea, ut magistratus ipsis tutum asylum in quibusvis adversis esse possit, quomodo superiores amare & honorare poterunt, nisi sub ipsorum umbra, ceu sub latissimæ alicujus arboris ramis, contra ventorum & tempestatum vim se tutò & securè delitescere posse sperent.

Quando autem hujusmodi arbores in id unicè incumbunt, ut & Deo grata & hominibus salutaria præstent, tunc vicissim inde amplissimus ad easdem redit fructus. Deus enim tales Principes filio suo implantatos tuetur, & contra adversitates omnes protegit, animas ipsorum in fasciculum vitæ colligit, benedictionum suarum dulcedine perfundit & inebriat, denique in cœlestem paradisum, in quo in æternum vigeant, floreant & fructificant, transplantat. Interim quoque in his terris subditis eum animum instillat, ut ejusmodi frugiferas arbores ament, venerantur, colant, magnifificant, admirantur, ipsis prompto animo obtemperant, pro earum salute & incolumitate temporali & spirituali vigilent, & vota faciant, non tantum fortunas, sed & sanguinem, si opus sit, pro ipsis profundere parati.

Ut verò taceamus de aliis hortis, quæ & quales arbores illuc provenerint, certè, quidem jam per multos annos ex inclita domo Saxonica enatae sunt plurimæ, non tortuosæ aut incurvæ, non steriles aut inanæ, sed rectæ, aspectuq; jucundæ, frugiferæ & satis fœcundæ, qvarum fructus usq; adeo fuerunt uberes & adhuc sunt durabiles, ut nullo unquam ævo eorum jucunditatem desitaram speremus. Fuit ex illarum arborum numero, majorum nostrorum ætate, facile præcipua, FRIDERICUS ille sapiens, Sacri Romani Imperii oculus & columna. Ex cuius (ut ita loqvar) medulla, celeberrima illa WITENBERGENSIUM Academia, pietatis & literarum officina præstantissima primum est enata & enutrita. Sincerioris quoq; doctrinæ lætior seges sub ejus protectione repullulare ceepit, quæ Deo benedicente ita se dilatavit, ut paucorum annorum decursu universum ferè terrarum orbem suo vigore compleverit. Ad scholæ enim illius publicè aper-tæ culturam convocavit omnium disciplinarum præstantissimos artifices & Doctores, qvibus non tantum liberaliter hospitium præbuit, sed etiam auctor fuit, ut teneras plantulas terreni paradisi ad laudabilis vitæ rationes quam diligenter instituerent. Qvis negabit hinc tales fructus enatos esse, qvi & cœlesti colono fuerint gratissimi, & ad benè beatęq; vivendum in terris plurimum momenti attulerint? Hujus certè arboris in toto Romano Imperio tanta fuit auctoritas, & tam sublimis existimatio, ut omnes ejus ordines sub ipsius umbra cubare, ipsamq; pro capite agnoscere cupiverint.

Huic ad latus plantata erat alia arbor, JOHANNES pius, frater germanus. Istum scholam illam nuper natam, ex qua uberrimum fructuum ad Ecclesiam Christi redundare animadvertebat, conservavit, ex incunabilis adjustam ætatem evexit, auxit, confirmavit: tum religionem repurgatam miro ardore, in celeberrimis totius Europa Comitiis, publicè confessus est. Cui ipsi confessioni ceu saluberrimo animarū fructui, ex ipsa arbore vitæ derivato & decerpto, cœlestis pater Harm. Tom. I,

E P I S T O L A

tam largè benedixit, ut mox aliæ plurimæ regiones, Principes & Civitates ad religionis & fidei societatem accesserint: in qua pleræq; etiamnum acquiescunt.

Cum vero hæ duæ arbores suo seculo voluntati Dei satis inserviissent, & per temporalem mortem emarcuissent, plantata est ab ipso Deo in ipsarum locum, alia arbor procul nimis & aspectu grata, JOHANNES FRIDERICUS, sincerioris doctrinæ assertor fidissimus, & pugnator constantissimus: quâ arbore virente & vigente, viruit simul & viguit cœlestis doctrina in universo ferè Imperio. Et licet variæ procellæ, tempestates atque turbulentissimorum ventorum furores eam radicibus evertentes tentarint, nec omnes illi conatus irriti fuerint: siquidem non pauci, qui sub umbra illius arboris vivere, & saluberrimos salutis fructus colligere solebant, disjecti & dissipati sunt, ipsa tamen illa justitiae arbor firma stetit nec dejici potuit. Cur enim posset? Profundissimas in religionis negotio radices egerat, quarum fibræ infixæ erant ipsi solidissimæ petræ Christo, adversus quem, ne inferorum quidem portæ prævalere possunt. Itaque diabolice potestatis impetus evanuit, & licet Pontificia cohors post partam victoriam de veritate triumphare videretur: hæc tamen justitiae arbor ita à Deo conservata & defensa est, ut etiam inter urticæ & vepres honoratum in terreftri paradiſo locum obtinuerit tantisper, donec in cœlestem transferretur. Interim autem, ut cœlesti agricultæ fructus sui multiplicarentur, in hoc mundo illustrem Academiam, divinæ & humanae sapientiae seminarium fertilissimum in urbe JENA ad ripam Salæ plantavit, ex qua, ut hactenus multa excellentia ingenia prodierunt, quæ jam passim gubernandis Ecclesiis & Rebus publ. feliciter præsunt: ita, quin & in posterum proditura sint, Deo successum clementer largiente, nullum est dubium,

Porro Illustrissimæ huic arbori mox successit, præter alias ex eodem stipite, succrescentes, generosa planta GUILHELMUS verè pacificus: qui hoc unum, dum vixit, studiis curavit & perfecit, ne infelix lolium & aliæ venenatæ herbæ, quæ tunc diversis in locis enascebantur, sacrosanctum animarum pabulum inficerent. Et ut noxias earum vires enervaret, non solum puriorem Evangelii religionem ipse indefesso studio & summâ curâ promovit, sed etiam honestis stipendis celeberrimos Theologos conduxit, quorum opera nocendi malorum occasionibus occurtere posset. Et quamquam pacem, puritatem & sinceritatem in toto horto Ecclesiastico conservare non poterat, tamen id præststit feliciter, quo usque ipsius umbra se extendit. Unde multi etiam ex exteris regionibus excitati, in ipsius schola ea cœlestis doctrinæ semina collegerunt, quibus etiam alibi ad Dominicum agrum conserendum & fructuosè colendum uti potuerunt. Qibus ut cœlestis agriculta etiam in posterum suæ benedictionis flatu aspiret, & incrementum largiatur, unicè precor.

Ethæ quidem arbores omnes, justo ordine collocatae, ex una stirpe & linea aliæ alias secutæ sunt.

Verum ut in hortis aspectu jucundum est & venustum, si quando arbores alternatim & (ut loquuntur) in quincunce positas intueri liceat: ita æthereus ille oculus sublunaria omnia pro liberrimo suo arbitratu gubernans, singularem quandam voluptatem ex eo capere videtur, quod etiam in Ecclesiastico suo horto diversarum linearum arbores alternatim quandoque positas exhibet. Quis enim ignorat, ex eadem Saxonica familia & domo diversa tamen linea etiam alias præstantissimas arbores exortas esse, quarum fructibus Deus humanum genus hisce postremis temporibus reficere, & per multos annos alere voluit?

Ex earum numero fuit HENRICUS ille probus, qui primus renascenti Evangelio & per illud Regi gloriae adventanti portas aperuit in Misnia. Hujus dexteritate & zelo ex illis locis expurgatum est, quicquid spinarum & sentium residuum erat ex Papistarum & Scholasticorum senticetis. Hujus quoq; opera & studio vetusta illa & celebris LIPSIENSIS Academia, ad illam doctrinæ puritatem, in qua adhuc hodie perstat, pervenit, & ut in æternum perficit, à Domino precor: Copiosior enim fructus ad Ecclesiam Christi etiam ex isto loco redundavit, quam ab hominibus in hac vita perspici & cognosci possit: in altera vita, ubi Dominus ipse eos prædicaverit, rectius perspiciemus.

Successit huic totius Germaniae fortissimus heros MAURITIUS Victorius.

DEDICATORIA.

riosus. Is cuin ob adversantis belli fortunam ferè de tota religione actum vide-
ret, & Pontificii non tantum anathematum fulmina jacerent, proscriptio[n]es tam
Principum qvām privatorum meditarentur, sed etiam suas superstitiones passim
instaurarent, hoc præstitit, ut non tantum Ecclesiæ puritas doctrinæ, sed etiam
Reipublicæ pax vitæ civilis restitueretur. Ex hujus igitur inclytæ arboris ramis
appensæ sunt tabulæ pacificationis, qvibus debemus, quod adhuc hodiè Roma-
num Imperium, inter duas maximè dissentientes religiones, pace & tranquillita-
te fru[n]tur. Quantum item fructus & emolumenti hæc arbor attulerit ad duas
illas Academias Lipsiensem & Witebergensem, qvæ bello disjecta fuerant, colli-
gendas, augendas & amplificandas, id ab aliis alibi prædicatur.

Quid verò dicam de magno illo AUGUSTO, qui, dum vixit, ut palma
floruit sicut Cedrus, qvæ in Libano multiplicatur, plantatus in domo Domini &
in Atriis Dei nostri? Verè hæc palmajucundissimos atq[ue] dulcissimos fidei & cha-
ritatis fructus protulit. In qvibus recensendis non nimioperè nunc laborabo.
Siquidem eos ipse Dei Filius in novissimo die cum perenni ejus laude, coram
omnibus electis, & enumerabit & remunerabitur? Duos præcipuos paucis saltem
verbis attingam. Unum, qvi illibatam fidei Synceritatem, qvem in promoven-
do & perficiendo illo nunquam satis à bonis celebrato CONCORDIÆ opere
præsttit, spectat. Alterum, qvi ad charitatem & opera misericordiae pertinet,
dum verbi ministrorum, viduis & pupillis annuatim distribuendos qvinquies
mille florenos legavit. O regiam liberalitatem & munificentiam! qvam in
aliis qvoq[ue] ipsum præstissime magis notum est, qvām ut opus sit h[ic] recensere.
Ego profecto grata mente ultrò fateor illius munificentia rama[bus] non conte-
mnendos ad me usq[ue] etiam pertinuisse: Et Deum precor, ut vicissim seræ ipsius po-
steritati clementissimè benedicat & benefaciat. Et ipsi qvidem mors vitam hanc
caducam eripere potuit: perpetuam verò illam pietatis & beneficentia laudem
nunquam eripiet. Vivit enim semper pietas, vivunt merita in Ecclesiam & Rem-
pub. collata, vivit & viget, & in æternum vigebit gloria, qvam i[st]is rationibus com-
paravit.

Reliquit summæ spei & maximæ expectationis filium CHRISTIANUM. Bone Deus! qvam uberēm proventum ex celissima illa & florentissima arbore
nobis pollicebamur? Erat enim ad summa qvæque nata, plantata, educata atq[ue]
adeò abundanter omnibus necessariis instructa, ut vel sola & unica ad totum Ec-
clesiasticum hortum exornandum sufficere posse videretur. Sed heu! validis-
simâ ventorum vi avulsa emarcuit in ipso ætatis flore, ante quam ad justam matu-
ritatem cum fructibus suis pervenisset. Sub umbram ejus, dum adhuc in huma-
nis esset, adrepserant calvi & glabri serpentes, qvi veneno suo afflatu tantæ spei
arborem inficere conati sunt. Accurrerant insuper truculentæ bestiæ, qvæ un-
guibus suis & rostris vastantibus, suffodientibus & depascentibus vigori hujus ar-
boris, ut ante tempus emoreretur, proh dolor! plurimum nocuerunt. Utinam di-
vina majestas hanc arborem nobis tantisper superstitem esse voluisse, donec tu-
multuantum istarum bestiarum conatus & subdola viperarum molimina persen-
tiscere cœpisset: citra omne dubium talem Zelum, in extirpandis i[st]is purioris
doctrinæ postibus & Evangelicæ Ecclesiæ maculis adhibuisset, ut toti orbi Chri-
stiano notum esse potuisset, quantoperè huic CHRISTIANO displicuisset,
si quis in avitare religione temere & extra Dei verbum quippam innovare sibi præ-
sumisset. Sed celesti illi futuri temporis arbitrio aliter visum est, qui hanc ar-
borem mature ex hoc corrupto seculo transplantavit in alium hortum, in quo
nec viperarum progenies, nec brutorum malitia Dei plantis ulterius nocere pos-
sunt.

Ex hac tamen arbore succreverunt novi surculi, felicissimi & generosissimi,
CHRISTIANUS, JOANNES GEORGIVS ET AUGUSTVS, fratres germani,
plantulæ & Deo gratae & hominibus acceptæ, de qvibus mens præsagit illud
Psalmi: Adhuc in senecta fructificabunt, pingues & virides erunt, ad indican-
dum qvod rectus sit Dominus, rupes mea, nec sit iniurias in eo. Deum precor,
ne vel ventus aliquis urens, vel maligna tempestas tenerrimis hisce plantulis, an-
tequam ad justam maturitatem ex crescant, noceat: Sed ut sub umbra & prote-
ctione

E P I S T O L A

ctione Altissimi ita adolescent, ut arbores justitiae & pietatis factae, bonis & rectis corde hospitium & nidum praebant.

Interim dum id fiat, Illustrissime Princeps, FRIDERICE WILHELME, qui ipsis Tutor & in summa dignitate Administrator datus es, tu jam nobis es arbor, ex generosissimarum arborum propagine descendens, cuius umbra nos conferimus, & sincero Dei cultui atque incorruptae religioni hospitium & asylum querimus. Et quidem quod tu & quam salubres fructus jam dudum tuleris, & nunc maximè effundere incipias, quibus bonos omnes & sustentas & recreas, parcius mihi dicendum est: quia illijam passim innotescunt omnibus, & mihi haec opera danda, ne in verissima illorum prædictione auribus aliquid tribuere videar. Hoc tamen vel ipse livor negare non poterit. Quod, Deo sit laus, per Cels. T. fidem & industriam, jam expurgatum est rursus, quicquid ἐπερδόσαντας, per fraudulentas machinationes malorum quorundam hominum, in Ecclesiam Christi, in hisce regionibus, invehi ceptum fuerat. Quid item, te duce, redux facta sit vera pietas: cum puriore animarum pabulo, ex sa- cris Israelis fontibus irrigato. Qvod præterea per te sollicitè curatum sit, ut loca judicii occuparent viri non tantum justitiae & doctrinae, sed etiam pietatis & veræ religionis laudi celebres. Qvod deniq; per te omnes scholæ, inferiores, & superiores jam reflorescant, literarum humanitatis & pietatis studia passim magno cum juventutis fructu vigeant: sicq; studiose caveatur: ne imminens barbaries totam terram occupet & pessundet. Quid multis opus? Es tu, Illustrissime Princeps, tam subditis tuis quam exteris, qui ad umbram tuam confungiunt, & sub ea animarum pabulum querunt, arbor generosa & fructuosa, quæ hoc omnibus præstare cupit, ut animo & corpori & fortunis ipsorum bene esse possit. Maecte haec virtute, Princeps optime, Princeps pientissime. Sic tibi non tantum inter homines & in Ecclesiastico horto, æternam laudem & perpetuam nominis celebrationem comparabis: sed etiam in cœlesti Paradiso, Christi merito tibi partam & per fidem donatam immarcessibilem æternæ gloriae Coronam, ramis ex ligno vitae decerpis consertam, conseqveris.

Facile tamen crediderim, ut ut boni omnes haec tua in Ecclesiam & Remp. merita magna cum gratulatione excipient: tamen non defuturos, qui hoc Cels. T. studium, quod in repurgando horto Ecclesiastico, politico & scholastico impedit, sint improbaturi, & saluberrimos hosce fructus theonino dente arrosuri? Est enim proh dolor! haec ultima mundi atas admodum ferax, non tantum variarum sectarum & haeresium, sed etiam ejusmodi ingeniorum, quæ antiquum illud LUCIANI artificium ab antiquo serpente instillatum exercent, quod in universum omnes religiones irrident, & nihil referre existmant, quam opinionem in religionis causa sequaris. Invenias viros omni iugenii cultu apprime ornatos: & in rebus politicis tractandis usq; adeo industrios, ut non ad unam aliquam regionem, sed plurima regna feliciter & cum laude gubernanda nati, & ab ipsa natura formati videantur. Illi ipsis tamen ad simpliciorem & sinceriorem Evangelii doctrinam adeo nauseant, contraq; adhaurientes sophistarum lacunas, & imbibendas haeticorum feces, tanto fervore & desiderio ferantur, ut manifestum sit, eos majori cum nisi ad interitum properare, quam pie mentes ad æternæ celorum regna suspirant. Hi omnes non possunt non ægræ ferre & indignari, quando licentiam istam, quidvis de quolibet sentiendi & credendi, frænari & cohiberi vident & animadvertisse impediri, quo minus pravae opiniones, quibus animæ ipsorum imbuti sunt, latius serpere & diffundi possint. At vero ægræ isti ferant, ut volunt & possunt, murmurent contraria, gruniant, insaniant, non tamen impedient, quod Domini manus perficere constituit, & in quorum curam, ut pii magistratus sedulò incumberent, Deus serio mandavit. Sic enim ipse apud Mosen: Rex, postquam federit in solio regni sui, describet sibi legem in volume accipiens exemplar a Sacerdotibus & habebit secum, legatque omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodiat verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Ejusdem Dei vox est: Vos Reges intelligite, & vos qui judicatis terram, eruditimi. Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Osculamini Filium, ne quando irascatur, & pereat.

Déut. 17.

Psal. 2.

D E D I C A T O R I Æ.

tis de terra. Etrurus : Aperite portas vestras, ô Principes, & elevamini portæ *Psalm. 24.*
seculi : & introibit Rex gloriæ, Hæc & similia dicta, imo vel unica syllaba hu-
jusmodi divinorum dictorum majoris æstimanda est, quāmille totius calvi gre-
gis vociferationes.

Exemplum cumprimis illustre habet Cels. T. in optimo illo Hebræorum
Rege Davide, qui divinæ vocis mandato motus, juravit DOMINO, & votum vo- *Psalm. 132.*
tuit DEO Jacob, se in domum suam non iturum, nec lectum suum consensurum,
ut somnum capiat, imo ne minimam quidem quietem admissurum, donec cer-
tam sedem arcæ DOMINI, ad quam se habitaturum esse Deus Jacob pollicitus
fuerat, constituisse. Tantâ curâ, tanto studio, imo tantâ religione optimus
Rex agendum putavit, nisi officio suo, in vero Dei cultu propagando, defuisse vi-
deri vellet. Qyanquam autem id, quod certò se facturum sibi proposuerat, ve-
tante Domino per Prophetam Nathanem non perfecit : ea tamen, quæ in intro-
ducenda arca DOMINI in urbem gesſit, satis luculenter ostendunt, voluisse
ipsum omnes & Principes commonefacere, quid ipsis in colendo Deo faciendum
fit. Nam convocato universo Israele & Sacerdotibus, usque ad Campestria loco
Cariath-Jarim & Gabaa descendit: ubi arcam DOMINI, quam diebus Saulis negli-
gebatur, inventam, splendidâ pompâ & regio apparatu Hierosolymam advehe-
re conatus est. Sed cum triste Ozæ fatum optimum Regem solicitum & trepi-
dum ficeret, ut in domo Obed Edom eam ad tempus relinqueret : tamen ne sic
quidem religiosissimus ille Princeps conqvievit. Nam quam primum animad-
vertit, DOMINO translationem arcæ non displicere, alteram etiam profectio-
nem instituit, ubi sumtibus maximis, comitantibus Sacerdotibus & Levitis in
præsentia totius populi, exquisitissimâ Musicâ, ipse ante arcam saltans, eam in ur-
bem, ingenti cum subditorum applausu, introduxit: Hæc David magno studio &
serio conatu, & quidem laudabiliter. Cumque uno ore factum illud, collaudarent
omnes, inventa est ipsa conjunx Michol, quam sperare debuit præ cæteris sensu-
ram honorificentissimè de hac Regis pietate. Ea verò regem propterea con-
temptui habuit, & quod liberius ante sacram illam Domini arculam saltasset,
scurrum appellare non dubitavit. His verbis: Quam gloriosus fuit hodie Rex
Irael, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nu-
detur unus de scurris : David autem respondit: Se DOMINO hunc honorem ha-
buisse, coram quo omnino, si res ita postulat, se abjecere, & ad infima, abjectissi-
maque obseqvia descendere sit paratus, si vel mille Micholes id improbent. Et sanè
David gloriosus mansit: sed Michol perpetuâ sterilitate à Deo punita est.

Hoc præstantissimi Regis exemplum Cels. T. animare potest. Si intelle-
xerit dipnosophistas & crypto Calvinianos pium & salutare studium Cels. T. in
necessaria hac Ecclesiarum reformatione carpere, reprehendere, calumniari:
cogit tales homines esse Micholem aliquam ex improba & rejecta Saulis pro-
genie descendantem, quam & jam sterilis sit coram Domino, & identidem sterile-
scat amplius. Hujus fannas & irisiones omnes ne unius quidem æstimet assis. Ir-
rideant jam, prout volunt; olim sufficienter plorabunt. Maledicant, DOMINUS
benedicet.

Nam quantam benedictionem DEUS, benignissimus pietatis remunera-
tor, Davidi ob religiosum illud factum & promiserit & largitus sit, *Psalmus 132.*
prolixè refert. Verba ejus hæc sunt: Juravit DOMINUS David veritatem, &
non frustrabitur eum : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si cu-
stodierint filii tui paetum meum, & testimonium meum, quod docebo eos, etiam
filii eorum usque in seculum sedebunt super solium tuum. Quoniam elegit DO-
MINUS, expetivit, ut esset habitaculum sibi, &c. Sed lubet benedictio-
ne hanc membratim nostris verbis recensere. Prima fuit, quod ex prosapia Da-
vidis promisit benedictum illud semen, in quo benedicuntur omnes gentes
terræ. Secunda, quod velut per successionem ad Messiam usque regnum in Da-
vidis familia conservare; additâ tamen hac conditione, si posteritas Davidis non
desciscat à vera pietate. Tertia de Hierosolyma, quod Deus eam elegerit, ut
divinus cultus ibi sit & maneat, ad Messiam usque, unde purior doctrina postea
propaganda sit in universum orbem. Postrema, quod habituri sint ipsius posteri
non tan-

1. Paral. 17.

2. Sam. 6.



E P I S T O L A E

non tantum necessaria alimenta & escas, quibus corpus saturatur & alitur: verum etiam spirituales dapes & panem cœlestem, qui famelicas animas recreare & reficere possit, ut conserventur in vitam æternam, ubi, ut Sacerdotes spirituales, salute induantur, & exultando exultent in omnem æternitatem.

Vides, Illusterrime Princeps, quæ benedictio maneat pios Principes, ob pie-tatem illam, quâ puriorem Dei cultum promovet, & quæ benedicta sit arbor, stirps & progenies eorum, qui sinceriori doctrinæ hospitium præbent. Qvis igitur morosophorum istorum murmura moretur? DOMINI benedictio, quæ certa est, & fallere non potest, C.T. contra ista sustentet, recreat, consoletur. Et ut hoc eo efficacius fiat, juxta superioris Psalmi manuductionem, precor Ego & unâ mecum omnes pii, ut C.T. nobis sit & quæ diutissimè maneat arbor benedicta, quæ instar virgæ Aaronis, simul & vireat & floreat & fructus protrudat. Deinde precor, ut ex hac arbore succrescant novi surculi, qui & sursum crescendo, paternam avitamque bonitatem & suavitatem fructuum æmulentur; & deorsum se propagando, piam propaginem post se relinquant, ad gloriosum adventum usque magni nostri DEI JESU CHRISTI. Præterea precor, ut idem benignissimus Pater WITEBERGAM, Evangelicam nostram Hierosolymam, & alterum Misnicarum regionum oculum LIPISIAM, quin & JENAM C.T. cor & anima, sibi in perpetuam requiem eligat, ex quibus identidem puriorem Evangelii sui Doctrinam in universum terrarum orbem emittat. Denique precor, ut Deus Opt. Max. sub C.T. umbra & protectione nobis tûm corporis, tûm animæ alimenta & ornamenta largiatur ea, quibus & in hac vita bene beateq; agere possumus, & coram tribunal Christi ita sustentemur & exornemur, ut per ipsum æternâ olim beatitudine frui possumus. Hæc vota firma & rata esse velit ille, in quo omnes promissiones sunt etiam & Amen.

Ut autem publicè testatum facerem, quod vero cum gaudio & debita gratiarum actione hanc Ecclesiæ reformationem & sincerioris doctrinæ instauratiōnem, quæ nunc Dei auspiciis & T.C. Administratione in Ecclesiis Misnicis peracta est, excipiā, hanc occasionem, quâ primus liber Harmoniaæ Evangelicæ, Reverendi & Clarissimi Viri Domini MARTINI CHEMNITII, Sacrae Theologiæ Doctoris, & Ecclesiæ Brunsvicensis quondam Superintendentis vigilantisimè, in publicum emittendus est, cupidè arripui, ut sic C.T. super hac re publici compellare, eidemque hunc librum & meo & hæredum nomine consecrare possem. Et planè spero C.T. hoc munus nequavam ingratum futurum. Quis enim & quantus Theologus CHEMNITIUS noster fuerit, & quid in exornanda ac tuenda cœlesti doctrina præstiterit, non tantum reformatæ Ecclesiæ omnes gratâ mente agnoscunt, celebrant ac profitentur: Sed etiam hostes nostri, cum Pontifici, tûm Zwinglio-Calviniani sentiunt & sunt experti? Nervosissimè enim & ex veris fundamentis tûm illorum idolomanias & superstitiones in examine Concilii Tridentini, tûm istorum errores & blasphemias in duobus scriptis de persona Christi & S. Domini Cœna refutavit, evertit, prostravit. Hæc ipsis tûm scripta præsens nostra ætas magnificat, tûm citra omne dubium posteri, ad magnum illum usq; Domini diem, maximi sunt facturi. Nec is tantum pugnando contra adversarios valuit plurimum: sed etiam, quia D. Paulus præcipit, ut Episcopus fidelis sit ἀδελπός, partim concionibus suis fermè quotidianis ultra triginta annos in hac urbe habitis, partim eruditissimis suis commentariis in locos Communes planum fecit, quid in docendo præstare potuerit. Profuerunt ipsis lucubrationes etiam nondum evulgatae non paucis, qui haud inviti fatebuntur, quantum ipsorum operas doctis suis meditationibus juverit & promoverit.

Sed idem ille CHEMNITIUS in hoc Harmonico opere se ipsum superasse mihi quidem videtur, ut licet omnes ipsius labores sacri fuerint eximii & excellentes: Omnes tamen eos hic labor, quem conscribenda HARMONIAE EVANGELICÆ impedit, ceu gemma margaritas antecedat. Nam si quis attendet, quanta dexteritate convenientem ordinem totius Historiae de JESU Christo commonstrarat: quæ convenienter Evangelistas in speciem dissidentes conciliat, quanta pietate historias singulas, conciones & miracula explicet, quanta deniq; perspicuitate in iis fundamenta Christianæ religionis tradat: is dubitabit, utrum

DEDICATORIÆ

utrum acumen & integratatem iudicii inveniendo & disponendo , an prudenteriam in conciliando , an pietatem in docendo , an *raffiguratio* in explicando magis miretur ? Sed in commendando CHEMNITIO & hoc ipsius labore ; hic non ero copiosus . Opus ipsum commendabit Magistrum , & quod vulgo dicitur , id hic quoque locum habere potest : Vino vendibili non opus est suspensa hedera . Nec ignotum est , non solum multos hoc opus , vix dum auctore inchoatum , maximam aviditatem descripsisse , sed & aliquos sui ingenii foetus , ex incoati hujus operis primitiis , plausibiliores & acceptiores reddidisse . Qui ipsi , si diligentius de eo inquiratur , non negabunt , se ex hisce CHEMNITII lucubrationibus pennas mutuatas esse , quibus sua exornarunt . Ego certe , si quid de scriptis Theologis judicare possim , (quod ut sit per exiguum : tamen , ut spero , non est prorsus nihil ,) ita sentio , inter omnes cum veterum , tum neoteticorum labores , quos Ecclesia magno numero & plurimo cum fructu habet & legit , in hoc quidem non extare illum , qui hunc æquet , nedium supererit . Cui , meo quidem iudicio , nihil deest , nisi quod auctor noster partim publicis libri Concordiae laboribus impeditus , partim morte præventus , opus incoatum vix dimidia ex parte absolvit . Quod quidem magnopere dolendum est . Neque enim facile adduci possum , ut sperem , futurum , ut unquam quisquam exurgat , qui pari dexteritate & felicitate residuum operis partem absolvere , sique totum opus perficere queat . Ut ut autem sit , non committendum putavi , ut hoc opus , quamvis imperfectum , perpetuis tenebris involveretur : sic enim Ecclesia magno Thesauro iniquissimo jure privaretur . Quod omnes boni una mecum sensuri sunt , ubi diligentius ea , quæ in publicum proferimus , oculis animoque perlustraverint .

Ut autem optimi parentis boni hæredes citra invidiam patiuntur , ut in publicum proferantur , quæ pro *exequiis* habuerunt ; ita C.T. submissè & humiliter oro , ut clementi vultu atque serenâ fronte à nobis ea suscipiat , suoq; patrocinio dignetur . Neque vero solum pro hoc libro , sed & pro me ipso vel maximè intercedo , ut quemadmodum C.T. me ex nobili & inclita BRUNSVIGA elementer Witebergam revocatum , ad Ecclesiæ & scholæ incrementum pristino loco & stationi restituit : ita eâdem me & in posterum suâ clementiâ constanter prosequi velit . Ego enixè datus sum operam , ut pro ea facultate , quam Deus largiturus est , quoad ipsi visum fuerit , officio demandato ita defungar , ut nec studium , nec voluntas rem literariam juvandi , & studia Theologica promovendi , defuisse mihi videatur .

Oblæcro Deum æternum Patrem DOMINI nostri JESU CHRISTI primū , C.T. Spiritus sui sancti dona , & largiatur semper affatim & perpetuet . Deinde ut præbeat eidem optata Tertulliani : vitam scilicet diuturnam , principatum felicem , administrationem inculpatam , domum semper tutam , senatum fidelem , populum probum , fortes exercitus contra inimicos crucis Christi , Ecclesiam quietam & pacatam , tempora pura , quæ & ab hæresibus secura , & ab omni detimento Reipub. integra esse possint . Denique T.C. venturi seculi fructum præstet , felicitatem illam æternam in cœlis repositam , ad quam pii omnes adspirant & tendunt . Data BRUNSVIGÆ , Anno à Filio Dei incarnato M.D.XCIII . pridiè POLYCARPI MARTYRIS .

Cels. T.

obsequentissimas

Polycarpus Lyserus D. suo
& Martini Chemnitii L L. D.
atq; Pauli Chemnitii Theol,
Candidati nomine,

LIBRI



LIBRI SECUNDI DEDICATIO.

ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

JOHANNI SIGISMUNDO, MARCHIONI BRANDENBURGENSI, BORUSSIÆ, STETINI, POMERANIAÆ, CASSUBORUM, VANDALORUM AC CROSNÆ IN SILESIA DUCI, BURGGRAVIO NORINBERGEN I, &c. DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Gratiam & Pacem à DEO Patre ac Servatore nostro JESU CHRISTO.



Nter omnia exercitia hominis Christiani, *Illustrissime Princeps, Domine clementissime*, nullum est præstantius, nullum quod ad perfectum pietatis gradum animum evehere possit, quām assidua doctrinæ & vita Christi lectio & meditatio. Neque enim reperitur ulla virtus, quam homo pius appetere possit, cuius non plurima eaque admiranda exempla in vita CHRISTI non modò proferantur, sed etiam animum sui consideratione ad mirationem existent. Inde humiliat se innata nostra superbia, & exaltat se fides; deficit ibi invidia, & crescit charitas; minuitur morositas, & augetur patientia; contrahitur diffidentia, & dilatatur fœse perseverantia; evertitur pusillanimitas, & exurgit spes; Omnis denique vita conformis redditur illi, qui amore salutis nostræ, per infimum exinanitionis gradum, ante se nobis confirmarat. Ut non inepte D. Bernhardus dixerit: Homo, qui virtutes sibi vult comparare, frustrè laborat, si eas alibi querat, aut ab alio petat, quām à Domino Virtutum: cuius doctrina est regula prudentiæ, cuius misericordia est opus justitiæ, cuius vita est exemplum temperantiæ, cuius mors est vexillum patientiæ.

Adhæc, non facile est quicquam, quod nos firmius, vel ex una parte adversus molles & vanas hujus mundi blanditias, vel ex altera parte contra tristes & terribiles ejusdem adversitates, armare possit, quām illa ipsa Redemptoris nostri doctrina & vita, ejusque diligens meditatio. Hæc nobis monstrat, quomodo inter adversitates & prosperitates mundi regiâ vitâ incedere, & utrinq; scopulos ita prudenter vitare debemus, ut sine naufragio fidei, ad salutis & felicitatis portum feliciter appellere queamus.

Præterea per seriam hanc atque assiduam meditationem homo pertingit ad intima penetralia divinæ charitatis. Quā quid sublimius, quid magnificenter, quid divinius in hoc orbe cogitari potest? Testatur de eo ipse Salvator, cùm inquit: Qui diligit me (Christum autem diligit, qui doctrinam & vitam ipsius tenet & meditatur) diligitur à Patre meo, & ego diligam ipsum, & aperiam ei meipsum.

DEDICATORIÆ.

pfum. Quâ autem dilectione eum dilecturus sit, alibi aperit, dum dicit: Sicut di- *Ioan. 15.*
lexit me Pater, ita diligo ego vos. O incredibilem comparationem! quâ fideles
à se ita diligi Christus testatur, qvemadmodum ipse dilectus sit à Patre ab æterno:
Qvæ opes, qvæ regna & imperia, cum hac piorum dignitate, qvod cùm admo-
dum à Deo diliguntur, comparanda sunt? Sordere meritò piis debebant omnes
totius orbis thesauri, collati ad hanc Dei dilectionem, qvâ non caduci alicujus &
mundani Imperii, sed sempiterni & cœlestis regni Corona ipsorum capitî impo-
nenda offertur. Qvamvis enim non omnino pari dilectionis mensura à Filio, quâ
Filius à Patre, diligatur: amplissimus tamen dignitatis gradus est, sic à Filio dili-
gi, ut hæc dilectio cum Patris erga Filium dilectione comparari mereatur, qvem
Pater infinitâ dilectione proseqvitur.

Cùm igitur ad tantam dignitatem Christianos evehat diligens doctrinæ &
vitæ Christi lectio & consideratio: meritò non tantum plебeji homines, nec tan-
tum ii, qvi ex professō studio Theologico dediti sunt, in eo elaborare debent: sed
etiam Principes Viri, idque in eum finem, ne si hoc studium negligant, mundana
& temporalis ipsorum eminentia in perennem contemtum & miseriam exeat
accommutetur, sed ut hujus mundi dignitatem cœlestis gloria & felicitas conse-
qvatur. Etenim quivis ipse secum in animo suo reputet, qvæ hæc sit futura igno-
minia, & qvam grave opprobrium, si qvis in hoc seculo cum Imperio aliis præ-
fuerit, ab hominibus in honore & pretio habitus, & pro Semideo cultus fuerit: in
altero verò ob impietatem, vel Christi contemtum, infra omnes diabulos abji-
ciatur: Qvis non malit in hac vita calorum & lixarum loco esse, modò in cœlesti
Christi regno immarcescibilis gloriæ coronæ particeps fiat, qvam hic vel ad sum-
mum Imperii culmen pervenire, & illuc diabolis in æternum cruciandus tradi?
Movit hoc summos Imperii Monarchs, ut non tam de claris victoris obtainen-
dis, aut Imperii splendore illustrando, qvam de sincero Dei cultu promovendo,
& fide in Christum studiofissimè propaganda, ideoq; sincera ipsius doctrina addi-
scenda, solliciti essent. Cujus rei exempla plurimæ adducere possem, sed in præ-
sentia unius aut alterius breviter meminiſſe sufficiat. Constantiū Magnum,
cui meritò inter Christianos Principes primus gradus affignatur, qvia Ecclesiis
post trecentorum annorum persecutiones, primus pacem dedit, res sacras tra-
ctare, doctrinam Christi meditari, & virtutum exempla in ipso imitari, usq; adeò
non puduit, ut ad eam rem potissimum se divinitus vocatum putaret, qvod non
tantum actionibus, verum etiam literis suis testatus est. Nam ut multa alia ta-
ceam, ad Macarium Hierosolymitanum Episcopum inter alia sic scripsit: *Socrat. I. I.*
*τετραγωνοῦ μονοῦ ἐσὶ μοι σκοπός, οὐαίστηρος ἐπιμέρους καινοτέροις δαύλωσιν ἡ τετραγωνοῦ
πίσις ἐνδέκανον, επωνύμοι ψυχῆι πάντων ημῶν τετράγωνος ἀρθρούν καὶ ὁμογνάμον τετρά-
γωνοῖς αὐτοῖς τετραγωνοῖς. Hoc est: Hic mihi primus & unicus scopus est, ut,*
*qvemadmodum se ipsam vera fides quotidie novis miraculis demonstrat: ita et-
iam omnium nostrum animæ prudentia & unanimi circa sanctam Legem studio
alacriores fiant. Non minor fuit pietas Theodosii Secundi, qvi Novi Testamen-
ti libros, suā manu descriptos in suppellestile sua pro κερυγμαῖς habuit, & quotidie
eorum partem aliquam legit; manè item cum conjugē & sororibus precationes
facere & Psalmos canere solitus fuit.*

Sed non opus est, Illustrissime Princeps, C. T. extera pietatis exempla propo-
nere, cum ea habeat domestica in Illustrissimis Parentibus, Domino JOAČHI-
MO FRIDERICO Archiepiscopatus Magdeburgensis Administratore, &c. Do-
mino meo Clementissimo, atq; Domina Catharina, ex eadem Marchionum
progenie nata, Domina mea clementissima, usq; adeò clara & insignia, ut
illa nullis veteribus sive recentibus jure postponatur. Qvanto enim studio in
id incubuerint, ut sincera & unanimis veræ Catholicæ Ecclesiæ religio in
universo Archi-Episcopatu suscipieretur, confirmaretur, conservaretur, quantis
qvoq; sumtibus in eum finem generalem visitationem, cum inexplicabili
Ecclesiæ fructu, instituerint & perfici curaverint: qvam justo deniq; zelo &
odio omnes επεροδιασκαλύτας persequantur, sive ii ex idololatrico Pontificiorum
grege, sive ex calva Coritarum caterva sint: id omne notius est toti Christiano
orbi, qvam ut opus sit hoc in loco recensere. Unde verò hoc? nisi ex eo, qvod ex
Harm. Tom.I.

E P I S T O L A

diligenti sacrarum Scripturarum lectione & meditatione, qvæ ipsi quotidianæ & familiaris est; Deus, qvi dixit, de tenebris lumen splendescere, ipse (ut Paulus loquitur) illuxit in cordibus ipsorum, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Iesu Christi: Ita ut ob fulgorem futuræ gloriæ, quem ex doctrina Christi percepérunt, non tantum nullæ tenebræ adversantis regni animis ipsorum noce-re possint, verum etiam ipsi, licet adhuc in mundo constituti, mundana tamen omnia, tanquam nimis abjecta & vilia contemnunt, in cœlestium bonorum considerationem & admirationem abrepti. Qui gustus quidam est ad venturam æternam gloriam capeſſendam, qvæ proposita & promissa est omnibus, qvi expectunt illum̄ adventum Iesu Christi, & interim in exercenda fide & pietate sunt occupati.

Horum laudatissimum exemplum, illustrissime Princeps, ut haec tenus laudabiliter cœpisti, ita & in posterum graviter perge sequi: nec dubita, qvæ in amplissimam Dei benedictionem tam in hoc quam in futuro seculo per CHRISTUM sis consecuturus. Christi enim vox est: Scrutamini Scripturas, qvia vos in iis habetis vitam æternam. Quidquid ergo æternam vitam habere cupiunt, sive sint magistratus sive subditi, sive nobiles sive ignobles, sive Principes, sive quicunque alii, Scripturas, in quibus ea continentur, scrutari debent: Id nisi faciant, ab æterna vita in perpetuum exalabunt. Habent quidem Principes viri innumera propemodum obstacula, qvæ ipsos à Scripturarum scrutatione & electione avocare possunt: modo enim publica, modo privata ipsos circumstant negotia. Sed qvo major externarum rerum & impedimentorum est concursus, eo acris animus ab iis est avertendus, & quasi fræno quodam huc reducendus, ut ad Scripturarum aliquod scrutinium recurrit, nisi spe æternæ vitae excidere velint. Neque enim vita æterna in Scripturis ita continetur, qvemadmodum præstans aliquod & salubre pharmacum in pyxide conclusum asservatur, ut si quis sacros codices splendidè ornatos domi repositos habeat, aut eos superstitione veneretur, aut faltem studiose circumportet & asperget, idem etiam in vitam æternam circumvehat, & in manibus repositum habeat. Hac siquidem ratione felicissima futura esset prædivitum sors, qvi vitam æternam domi possidere possent, licet nunquam ne unam quidem paginam in sacris Bibliis legerent. At vero Scripturæ vitam æternam hoc modo continent, qvia totius Scripturæ scopus est CHRISTUS JESUS, qvi æternæ vitae verus & unicus est auctor, & idem per Scripturas seu per ordinarium medium nobis offertur, ut si ejus doctrinam & præcepta audiamus, credamus, servemus, per ea detur nobis scientia salutis, & via monstratur, ad vitam æternam. Itaque finis totius Scripturæ est, ut Christum in iis quæramus: & quidem ut ita eum quæramus, ut non tantum historicè aliquid de ipso teneamus, sciamus, loquamur, disputemus: sed ut ad ipsum veniam. Qod hic fit fide in vera penitentia & pia vita, in futuro vero seculo fiet beata visione & æterna fruitione: ut ita in ipso solo & per ipsum solum, tam hic quam illuc vitam habeamus.

Porro scrutari Scripturas non est cujusvis. Etenim ^{non} *ep̄l̄v̄z̄*, non perfundat, aliqnam Scripturarum lectionem denotat, qvalem etiam habent Judæi in suis Synagogis, & Pontificii in suis templis, qvi eas vix obiter inspiciunt, aut volubili faltem lingua vel vagabundis cogitationibus percurrunt: sed requirit, ut veri & idonei Scripturarum lectores eas penitus inspiciant, & arcanos ejus sensus diligentius scrutentur. Ut enim in agris defossos thesauros nunquam obtinebimus, nisi illi effodiatur: ita Domini ager fossione opus habet & diligenter studio, si pretiosissimam illam margaritam, Christum, & æternum salutis thesaufum ex eo eruere volumus. Quam ad rem plurimum profunt Commentarii *Heodæctas* Ecclesiæ Doctorum, qvi, cum verbis res ipsas considerantes, & quæ olim dicta factæ sunt, ad nostra tempora transferentes, Scripturas illustrant, easq; nobis ita intellectu faciles reddunt, ut nostræ institutioni, admonitioni, correptioni atque consolationi commodissime serviant.

Etsi autem ex relatione fidissimi T.C. Praeceptoris, M. GEORGII TEUTSCHII, amici mei singularis, intellexi C.T. satis bene instructum penu ejusmodi Commentariorum in promptu habere, & eosdem etiam acri studio evolvere,

sicq;

DEDICATORIÆ.

sicque fibi ipsi penitorem mysteriorum sacris literis comprehensorum cognitionem comparare. Tamen illud ipsum studium C. T. magis excitare, & instructissimam librariam suppellectilem qualicunque accessione augere volui, oblatione & dedicatione hujus secundi libri, ex plane aureis & gemmeis Commentariis, exercitatiissimi & clarissimi Theologi, Dn. D. MARTINI CHEMNITII, Superintendentis hujus Ecclesiæ quondam fidelissimi, quos in Harmoniam Evangelicam conscripsit. Huic libro & reliquo ipsius commentationi in vitam & doctrinam Christi, ut inter reliquos T. Cels. libros locum aliquem concedat, ejusq; lectioni interdum horulam tribuat, humiliter oro. In aeternum, ut confido, non paenitebit te fructus, quem ex eo colliges. Solent alias homines, qui gratiosi apud Principes, maxime juniores, esse cupiunt, ingeniose multa excogitare, quæ externam aliquam & momentaneam voluptatem excitant, & ejusmodi ingenii sui foetibus se Principibus insinuant: ut eorum gratiam aucepuntur, quorum tamen omnium fructus vel tandem est evanidus, sæpenumero etiam noxious. Talis non futurus est fructus is, quem C. T. ex hujusmodi librorum lectione colliget. De hoc enim, ipsum os veritatis pronunciat: Ego elegi vos, & constitui vos, ut abeentes fructum adferatis, & fructus vester maneat.

Existimarent quoq; optimi nostri CHEMNITII, piæ memoriaræ, hæredes, quoniam parens ipsorum ex oppido domui Brandenburgicæ subiecto ortus es- set, atq; superstes multa illustria beneficia ab illustrissima Brandenburgica domo accepisset, aliquot etiam libros suos Brandenburgensibus Marchionibus dedi- casset, sicque se semper licet h̄c Brunsvigæ vixisset, Brandenburgicæ domus tute- lœ commendasset: sui munera esse, etiam quoad posthumos parentis labores, ali- quam patronum præter alios ex inclita Brandenburgica domo deligere, siccq; hu- milem suam observatiā & derissum gratitudinis studium, erga illustrissimam illam familiam, de parente suo optimè meritam, declarare. Tuæ igitur Cels. tan- quam maximæ expectationis Principi, hanc partem laborum parentis humiliter dedicant, & cum omnia ipsius scripta, tum se quoque ipsos C. T. patrocinio & clementia, quâ omnium bonorum consentientibus testimoniosis digni sunt, commen- dant. Ego quoq; demissè peto, ut Cels. T. hoc nostrum studium, quod ex animo C. T. observantissimo proficisciatur, benignè & placide excipiat, atq; in posterum eâ clementiâ me, licet indignum, complecti dignetur, quâ ante septem annos ex Præ- ceptoris commendatione cœpit. Enixè datus sum operam, quovis tempore, ut quæcumq; C. T. grata & accepta à me fieri poterunt, in iis studiis & voluntatem mihi nequaquam defuisse experiaris.

Christum Jesum, omnis boni fontem & datorem, toto pectore precor, ut T. C. det cor perfectum, quod doctrinam ipsius amet, beneficia & merita ipsius firmâ fide amplectatur, virtutum exempla in vita ipsius imitetur, præcepta ejus custodiat, testimonia & statuta ipsius teneat, sicutq; ipso duce, præter hujus seculi benedictionem, futuri quoq; sempiternam felicitatem conseqvatur. Idem etiam C. T. illustrissimos parentes, hoc ultimo senescantis mundi tempore, inter gra- viissimos orbis motus, & undiq; minantia pericula tueatur, protegat, conservet: at- que omnia consilia ad communem patriæ & Ecclesiæ conservationem suo Spiritu regat. Amen. Datae Brunsvigæ, pridie Polycarpi martyris, Anno, ab incarna- to Filio Dei, M. D. XCIII.

Cels. T.

humiliter Colens

Polycarpus Lyserus, D. suo &
Chemnitianorum hæredum nomine.

Harm, Tom. I.

§§ 2

DEDI-



DEDICATIO LIBRI TERTII.

**ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO
LUDOVICO, DUCI WIRTEMBERGICO ET TEC-
CIO COMITI MONTIS PELIGARDI, &c. DOMINO
SUO CLEMENTISSIMO,**

&c.

*Gratia, Pax & Misericordia à Deo Patre Domino
Jesu Christo, Servatore nostro.*



2. Tim. 3.

Deut. 18.

Jesu. 30.

Joel. 2.

Joan. 4.

Joan. 14.

Joan. 19.

Tsi omnes libri Biblici, *Illusterrime Princeps, Domine Clementissime*, tam Veteris quam Novi Testamenti pariter reverentiā & pietatis affectu sunt excipiendi & venerandi: (siqvidem tota Scriptura *Scriptura* est;) tamen dubium non est, qvin pro materia & doctrinarum diversitate, alli aliis präferre possint. Inter omnes autem, meo quidem judicio, meritò principem locum obtinent scripta quatuor Evangelistarum, hoc nomine, qvia in iis non sancti Dei homines, Prophetæ vel Apostoli agunt & loquuntur, sed ipse Dei Filius, omnium Prophetarum & Apostolorum Dominus, docet & operatur. Hic est magnus ille Propheta, quem Deus olim per Moysem Israelitis promiserat, pollicitus, se verba sua in os ipsius positurum: item se fore ultorem, si quis verba, qvæ Dei nomine locuturus esset, audire nollet. De eodem apud Isaiam dicit: *Et erunt oculi tui videntes Præceptorem, & aures tuæ audient vocem tergum monentis.* Hæc est via, ambulare in ea: & non declinetis neq; ad dextram, neq; ad sinistram. Et iterum apud Joelem: Filii Sion, lætamini in Domino, Deo vestro, qvia dedit vobis Doctorem iustitiae. Ex qvibus locis & aliis similibus, qvæ longum esset recensere, aperte liqvet, totam Ecclesiam, inde usq; ab initio per ipsos Prophetas, semper eo remissam esse, Messiam, Doctorem iustitiae, & veritatis, ea, qvæ ipsi obscurius & quasi in umbra proposuissent, plenius & disertius enarraturum Unde & Samaritana fœmina dicit: Scio, qvia cum venerit Messias, ille nobis annunciat omnia.

Et est omnino magnum & inenarrabile Dei beneficium, quod Dei Filius ex arcana sua sede & luce, qvam inhabitat, inaccessibili prodiens, ipse locutus est hominibus, atq; viam, qvā ad æternum corporis & animæ felicitatem pervenire possint, non tam patefacit, qvā olim in Paradiso patefactam illustravit, atq; planiorēm reddidit. Qvod Author Epistolæ ad Hebræos magnificè deprædicat, cum scribit: Multifariam, multisq; modis olim Deus locutus est Patribus per Prophetas, novissime autem diebus istis locutus est per Filium, quem constituit hæredem universorum, per qvem fecit & secula, &c. Unde Christus ipse de se testatur: Ego sum via, veritas & vita. Et: Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Veritas qvidem patefacta erat etiam sanctis Patribus, verum eadem Leviticarum ceremoniarum involucris ita erat involuta, ut paucissimi

DEDICATORIÆ.

paucissimi eam plenè asseqverentur. At Christus in mundum veniens, non tantum sanctissimam oblatione corporis sui, in ara crucis, veritatem complevit, sed etiam suo testimonio & doctrinâ ita evolvit eam, atq[ue] conspicuam reddidit, ut jam (secundum veterum vaticinia) omnes fines terræ videant salutare Dei nostri, & *Ies. 51.*
 omnes Dominum agnoscunt a minimo usq[ue] ad maximum. Quemadmodum enim Sol exoriens non tantum discutit tenebras, sed etiam jubar suum projicit ab Oriente ad Occidentem usq[ue], ut totum hemisphærium uno momento collustre. *Mal. 4.*
 tur. Ita Sol justitiæ, Oriens ex alto, non solum tenebras, qvæ operuerant faciem ter- *Luc. 1.*
 ræ, & caliginem, qvâ oppresi erant omnes populi, dispulit, sed etiam fulgorem salvifici verbi sui, qvi olim angustis Judæorum terminis includebatur, longe late- *Ies. 60.*
 que per universum orbem terrarum ita sparsit, ut sonus ejus exierit in omnem ter- *Psal. 19.*
 ram, & verba ipsius in fines orbis. In hoc certe lumine jam ambulant Reges, & in splendore ortus ipsius vivimus nos gentiles, qvi olim eramus alieni à conversati- *Ies. 60.*
 one sanctorum, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & fine *Eph. 2.*
 Deo in hoc mundo.

Hoc Dei beneficium, si Pontifícia cohors satis dignè aestimaret, nunquam Traditiones à se confictas tanto supercilios Ecclesiæ Christi obtruderet. Prætentunt belli isti homines, non sufficere saluti hominum ea, quæ scripta sunt: siquidem Christus discipulis adhuc rudibus non omnia tradiderit, sed pleraq[ue] venturo Paracleto patefacienda reservarit. Hinc qvicq[ue] Papa, qvicq[ue] Clerici Papæ statuunt, id tribuunt Paracleto, & paris cum sanctis Evangelii auctoritatis esse volunt. Verum enim verò in hac tanta Evangelii hinc istæ Sophistarum nebulæ apudpios ita disparuerunt, ut vel puer septenni absurditas hujus commenti patet. Conqueritur qvidem Christus alicubi de discipulorum tarditate, qvòd sci- *Joan. 16.*
 licet animi ipsorum partim luctu, ob ipsius abitum, partim præconceptis de regno mundano opinionibus, ita sunt occupati, ut adhuc carnales sermonem ipsius capere non possint. Et promittit Paracletum Spiritum sanctum, cuius virtute & gratia post ascensum ejus in cœlum donati, & quasi spirituales facti, longè aliter de regno ipsius judicent, & mysteria doctrinæ ipsius rectius asseqvantur. De eo autem Paracleto dicit Christus, non qvòd alia aut diversa à Christi doctrina, multò *Joan. 16.*
 minus qvòd contraria (cujusmodi pleraq[ue] Papæ & Episcoporum sunt:) sit allatus: sed diserte, de meo, inquit, accipiet, & annunciat vobis. Item: Suggesteret vo- *Joan. 14.*
 bis omnia, qvæcunq[ue] dixi vobis. Non itaq[ue] futurum erat, ut Spiritus sanctus Apostolis nova qvædam aperiret & dictaret, de qvibus Christus ipsos, dum in terris vivebat, non instituisset, sed tantum ut à Christo tradita suggereret. Quemadmodum enim penè semper accidere solet, ut doctrina, qvæ, ubi primum proponitur, plane sterilis & infrugifera appareat, post aliquod demum tempus fructum suum ferat: Ita Christus videbat tunc qvidem Apostolorum suorum animos sic rudes esse & indociles, ut de iis, qvæ docuerat, servandis parum solliciti essent, nec fructum ferre viderentur. Promittit autem Spiritum sanctum, qvi traditam doctrinam in animis ipsorum illustratus, & efficacem sive frugiferam redditurus esset.

Est ergò intollerabilis temeritas Pontificiorum, qvi ipsius Filii Dei verba violenter detor quere, & iis abuti conantur, ut probent, ipsum Apostolis suis non omnia salutis & religionis Christianæ mysteria perfecte tradidisse: sed multa reservasse, qvæ demum post longa temporum intervalla ipsorum successoribus (vel potius suppluatoribus) singulari spiritus revelatione manifestari debuerint. Sed valeat istud nugamentum. Christus ipse dicit Apostolis: Vos dixi amicos, qvia *Joan. 15.*
 omnia, qvæcunq[ue] audivi à Patre meo, nota feci vobis. His audimus, unigenitum Dei Filium, qvi est in sinu Patris, & in quo omnes thesauri scientiae & cognitionis reconditi sunt, testari, se OMNIA, qvæ à Patre accepit & audiverit, discipulis manifestasse.

Quis ergò tam perficitæ frontis inter verè Christianos erit, ut peregrinis speculationibus & novis revelationibus opus esse autem? Quibus usque adeò non *Phl. 3.*
 indigemus, ut si ne qvidem plura ex sacris literis haberemus, quæm Christi doctrinam solam qvatuor Evangelistarum scriptis comprehensam: (qvanqvam etiam pro reliquis Scripturis, ut qvæ nos magis confirmant, æternas Dei gratias agamus) tamen ex ea plenè, sufficienter & perfecte addiscere possemus ea, quæ essent

Harm. Tom. I.

§ § 3.

ad salu-



E P I S T O L A E

Joan. 20. ad salutem nostram necessaria. Sic enim Johannes Evangelista pronunciat: Hæc scripta sunt, ut credatis, qvia Jesus est Christus, Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.

Idem sumnum Dei beneficium, qvod nimurum Deus novissimis temporibus per Filium nobis locutus est, si calvus Sacramentiorum grec debitâ gratitudine agnosceret, majori reverentiâ & sanctimonî ipse quoq; Christi verba fusciperet & tractaret.

Matt. 17. Æternus Pater voce e cœlo delatâ hominibus de hoc Jesu Christo imperat & præcipit, HUNC AUDITE. Hanc vocem iω̄ μεγαλωτων τον διέγει ad Christum delatam, se audivisse, Apostolus Petrus testatur. At, qvod maximè mirandum, Calviniani pleraq; doctrinæ Christianæ capita ita tractant, ac si cœlestis Pater aperte dixisset: HUIC CONTRADICITE.

Christus enim dicit: Sic Deum dilexisse mundum, ut Filium daret. Calviniani contra: Deum ab æterno majorem mundi atq; hominum partem odio prosecutum esse, necq; unquam eos diligere posse, ac proinde ad æternum exitium prædestinasse. Christus affirmat, se in cœnâ nobis corpus suum ore manducandum, & sanguinem ore bibendum exhibere:

Matt. 26. Calviniani suis hominibus pro corpore & sanguine Christi, ejus figuram & umbram aliquam obtrudunt. Christus omnem sibi potestatem in cœlo & terra traditam asserit: Calviniani contrâcontendunt, tantum potentia ipse concessum esse, quantum ad exequendum officium Judicis ipse optis sit. Christus, ut re ipsa ostenderet, sibi & Patri, cum qvo unum est, peccata & interitum hominum discipere, se ipsum voluntariam victimam & v̄t̄ḡ pro peccatis gehenis humani obtulit: At Calviniani in suis scriptis Deo, Originem, vim, occultamq; propagationem malorum in hoc mundo ita adscribunt, ut ipse Diabolus nec cadere, nec nos tentare atq; perdere possit, absq; impulsu, vi & efficacia Dei, cui soli ista operatio sit adscribenda.

Job. 8. Bone Deus! quid hoc aliud est, qvam Deum in ipsum Diabolum transformare, cuius folius est peccare *ἀπὸ ἀρχῆς?* Verum non est instituti nostri, in præsentia omnia & singula adducere, qvibus istud hominum genus Christo in os contradicit. Sufficiat paucis, quasi intento digito, moustrasse fœdam ingratitudinem, qvam isti homines Deo promisso Filio & per ipsum donato veritatis. Verbo respondunt, qvod cæcæ suæ rationis dictamini plus, qvam Doctori cœlitus misso, fuisse volunt.

Meritò itaque nostræ Ecclesiæ sese à duplii isto hominum ordine segregarunt, & ut reliquam Scripturam divinitus inspiratam, ita vel maximè sacrorum Evangeliorum Codicem summâ veneratione prosequuntur. In eo enim ipse Filius Dei docet, exhortatur, monet, disputat, pugnat, triumphat. Cujus vel unicum verbulum, vel minimus verbi apiculus, majoris à Christiano aestimatur, qvam universus terrarum orbis. Hæc enim omnia transiunt: Verba autem Dei non transibunt, qvia sunt verba vitae æternæ. Et qvicunq; vitam amat, amat etiam verba Christi, magnificat, diurnâ nocturnâq; manu versat, & in eis spem salutis ponit.

Marc. 13. Porro licet verba ipsa per se plana sint & perspicua: non tamen cuiusvis est ea dextre & plenè ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem & consolationem accommodare, sed tantum eorum propriè qvibus ipse Christus mentem aperit, & qvos propriè sancti sui Spiritus afflatus dignatur. Dei enim sermo ab hominum sermonibus, tum in aliis tum etiam in hoc maxime discrepat, quod homines de paucis & exilibus rebus sâpe multa inania verba fundunt & admodum prolixè fermocinantur. Deus autem paucissimis verbis res plurimas & maximas, divinas & cœlestes comprehendere solet, ita, ut sâpè unius vocis tam ampla, tamque augusta sit maiestas, tam copiosa item (ut sic loqvar) fecunditas, ut si quis eam ad fontes Israelis examinet, plus inde doctrinæ & consolationis in unico verbo reperiat, quâm ferè multæ paginæ humanorum scriptorum complecantur.

Atque ad id profundunt Commentarii piorum & fidorum Scripturaræ Interpretum, qui dant operam, ut caveant, ne ejusmodi verborum vis & usus lectorem minus attentum præterfluat, sed ut is genuinum sensum verborum assequatur, & præterea spiritualem eorum usum animo includat. Qya in re celeberrimus Theologus Dn. D. Martinus Chemnitius, singularis & incomparabilis artifex fuit, in hisce suis in Harmoniam Evangelicam commentariis. In iis enim sâpenuero ex unius

DEDICATORIÆ

ex unius aut alterius vocabuli proprietate & emphasi collatione instituâ, partim ad fontes Prophetarum, partim ad ubiores explicationes Apostolorum, consideratis simul omnibus circumstantiis temporum, rerum & personarum, tam reconditas, abstrusas, veras tamen, interim & vivas solidasq; doctrinarum & consolationum explications eruit, ut quasi ipsum Christum in cathedra sedentem & concionantem tibi audire videaris. Me profectò hæc tam concinna & conveniens mentis Christi expositio ita affecit & delectavit, ut licet non nullius laboris fuerit, ista ex ipsius manuscriptis chartis colligere, & ad publicum usum proferre: tamen saepenumero illarum lectione minime fatiari potuerim, nec unquam earum tandem me cœperit. Nec dubito, qvin idem mecum sensuri sint, qvicunq; hasce ipsius lucubrations non obiter inspexerint, atq; legerint, sed serio diligenterq; expenderint.

Hoc enim sibi propositum habuit, ut non tantum verum historiarum de Jesu Christo ordinem monstraret, qvod in Harmonia conscribenda alii ferè unicum spectarunt, & cuius ipse ubi vis exquisitissimam rationem reddit: verum etiam dedit operam, ut genuinum concionum & disputationum Christi sensum aperiret. Qvod adeò feliciter asscutus est, ut nec ex Veteribus, nec ex Neotericis, (qvod crita om nem eorum injuriam dictum velim,) qvenquam inveniri existimem, cui CHEMNITIUS noster in hoc genere scriptio palmarum tradere cogatur. Unde divini hi ejus labores dignissimi sunt, qui publicè Ecclesiæ communicentur. Ut qui magno cum fructu tum ab Ecclesiæ ministris, tum ab aliis legi, adeoq; publicam Ecclesiæ ædificationem plurimum juvare possint.

Qvod vero, Illustrissime atq; Pientissime Princeps, Domine clementissime, ipse D. CHEMNITIUS, pia recordationis, si supervixisset, facturus fuisset, id nunc ego de voluntate & consensu hæredum ipsius instituo.

Destinavit ipse Celsit. T. hujus laboris partem aliquam, propterea, qvia eam inter præcipios Romani Imperii Principes, qvorum operâ & protectione nostrâ ætate Christi regnum plurimum propagatum est, numeravit. Meminerunt ipsius hæredes, quod saepius domi deprædicarit Wirtenbergensium Principum zelum erga sinceram religionem, misericordiam erga piòs Christi exiles, munificentiam erga literarum studia, & admirandam, omnibusq; piis Principibus imitandam Ecclesiasticorum bonorum justam administrationem: qvæ cognovit singula, partim ex publica illa & laudatissima fama, qvæ de Cels. Tua totam Germaniam per volavit, partim ex relatione Dn. D. Jacobi Andreæ, cui tum in reformando Ducatu Brunsvicensi, tum in adornando Christianæ CONCORDIÆ libro, per aliquot annos collega fuit. Saepius enim gratâ mente celebravit clementissimam illum invitationem, quâ Cels. T. ipsum ex Academiæ Heidelbergensis visitatione Stugardiam evocavit: quam multoties testatus est, se chartacei alicujus muneris oblatione compensaturum. At morte præventus, id, quod in animo suo sibi proposuerat, præstare non potuit. Qvare hæredes sui muneris esse existimarent, hac quoq; in parte pii parentis voluntatem exeqvi. Et proinde à me petierunt, ut C. T. hac publicâ, περ φονήν compellarem, eiq; hunc tertium Harmoniæ librum humiliter dedicarem.

Ego vero è libentius assensi, qvia dudum exoptatam mihi conditionem aliquam offerri, qvâ publicè testari possem de singulari Cels. Tua Clementia, qvâ non tantum studia mea à prima ferè ætate munificentissimè fovit ac promovit, sed etiam postea in peregrinas terras, Austriam, Misniam & Saxoniam ministerii Ecclesiastici causâ missum, semper benignissimè prosecuta est. Non tamen mihi propositum est in præsentia, & quidem in alieni operis dedicatione, Illustrissimæ Cels. Tua merita & beneficia erga me prolixè prædicare. Majora sunt illa & Excellentiora, ut & Duci HULDRICI avi, & Duci CHRISTOPHORI patris laudatissimæ & sanctissimæ recordationis Principum, erga meum Parentem, quam ut verbis à medignè celebrari possint. Habebunt tamen eadem, Deo juvante & secundante, suum peculiarem locum. Nunc hanc posthumî & alieni operis oblationem loco pignoris clementer & benignè suscipias, donec olim proprio aliquo grande illud gratitudinis debitum, qvo Cels. T. obstrictus sum, persolvere incipiam.

Neq; vero novum aut insolens est Theologica opera Principibus viris offerre. Harm. Tom. I. §§ 4 re. Lucas



EPISTOLÆ DEDICATORIÆ.

re. Lucas certè unus ex quatuor Evangelistis, utramq; suam historiam, de JESU Christo, & de Apostolis, Theophilo, viro illustri, & magistratum gerenti inscripti. In eo nimur non tantum Theophili pietatem respiciens, sed suo exemplo docens, religionis curam ad pios magistratus in primis pertinere. Et proinde Ecclesiarum ministros nihil præter officium facere, si suas lucubrationes iis nuncupent, ut earum lectio ne magis incitentur, & suâ auctoritate scriptis illis majorem fidem & auctoritatem concilient.

2. Sam. 2.
Adducor itaq; Illusterrime & clementissime Princeps, in hanc spem maximam, & quemadmodum confido, verissimam, T. Cels. hunc hæredum Chemnitianorum & meum conatum, pro innata & heroica animi bonitate, & qvi boniq; consulturam. Qvantoper enim ea bonas & cumprimis sacras literas ab ineunte ætate semper amarit, pietatem vero & puriorum veritatis doctrinam coluerit, atq; promoverit, id non tantum incliti Ducatus Wirtenbergensis, patriæ meæ dulcissimæ, incolæ omnes, sed & totus orbis Christianus novit. Qvæ enim est regio in universo Imperio Romano, ad quam nos fructus tui stipendii, qvod in celeberrima Academia Tubingensi habes amplissimum, redundarit? Certè te fidum Evangelicæ veritatis adversus Pontificum idolomaniam & aliorum hærefes patrum esse, & præsens hæc ætas gratâ mente agnoscit, & posteri, si qvi pii sunt, de prædicabunt. Qapropter & DEus ipse suo favore Celsit. T. complectitur, & sue promissionis (qvæ dixit: honorantes me honorabo,) erga T. Cels. tum in hac tum in altera vita probè memor erit. Perge modo constanter sanctâ illâ benevolentia Christi Ecclesiam & Scholas, earumq; ministros prosequi, & memineris, non esse Ducalis dignitas, potestatis & opum usum aliquem meliorem, aut quæstuosiorum, quam ut honori Dei, propagationi veræ doctrinæ, Ecclesiæ ac Scholarum conservationi, pauperum deniq; sustentationi serviant. Qvicquid mundo vel carni impenditur, id fere nimium est aut noxiuim. Qvod vero ad Dei cultum & veritatis doctrinam promovendam confertur, in quo præ alius T. Cels. munificentiam suam spectandam præbet, id nec nimium aut supervacaneum, nec noxiuim aut inutile esse potest.

Suscipiat itaq; C. T. hunc librum eâ clementiâ & favore, qvo & CHEMNL TIUM vivum olim complexa est, & non ita pridem filium ipsius PAULUM, studiorum suorum confirmandorum causâ Tubingam euntem clementer prosequi dignata est. Et patiatur qvoq; hanc meam *περιφάνην* qvalemcunq; gratitudinis significationem, atq; publicum meæ erga C. T. observantiae & studii testimonium, sibi gratam & acceptam esse. Utq; meis studiis ab ineunte ætate favere consuevit; ita etiam in posterum me, meosq; suâ clementiâ dignari pergit.

CHRISTUS JESUS Cels. T. cum inclito Wirtenbergensium Ducatu, patria mea dulcissima, suâ virtute potenter servet, Spiritu suo clementer regat, & dona sua tam spiritualia quam corporalia, quam cumulatissima in Celsit. Tuam & agrum Wirtenbergensem contulit, qyotidiæ augeat ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ propagationem, sinceroris doctrinæ illustrationem, & communis patriæ conservationem, Amen. Brunsvigæ ipso die POLYCARPI Martyris, Anno incarnationi Filii DEI, M. D. XCIII.

Cels. T.

obsequentissimus

Polycarpus Lyserus, D. suo &
hæredum Chemnitianorum
nomine.

PAR-



PARTIS ALTERÆ LIBRI TERTII DEDICATIO.

OPUS, SI DEUS VITAM, VIRES-
QVE, UT ULTIMUM FASTIGIUM EI IMPONA-
TUR, LARGITUS FUERIT, SERENISSIMO SAXONIÆ ELECTORI,
DN. CHRISTIANO II. DOMINO SUO CLEMENTISSIMO
HUMILITER CONSECRANDUM.

LECTORI A. B. C. D.



Urgo dicitur: Omne promissum cadit in debitum...
Cum ergo meminerim, Lector amice, benevole,
candide, dilecte, me ante quatuor annos, cum secun-
dam Harmoniæ hujus Evangelicæ (quousque quidem ea à Celeberrimo Theologo, Dn. D. MARTINO
CHEMNITIO piæ memoriarum perducta est) editio-
nem adornarem, spem tibi fecisse, quandoquidem
nullus prodiret, qui inchoatum opus perficere vel-
let, quod Ego, divinâ adjutus gratiâ, residuum su-
peraddere conatus essem. Fateor, me tibi debitorem factum esse.

At verò re ipsâ experior, facilius esse promittere quid, quam præstare.
Non tantum propterea, quia in promittenda re aliqua, nudis saltem verbis, quæ
ex simplici voluntate dependent, utimur: in eadem autem præstanta non ver-
ba sufficiunt, sed facultatis etiam vires excutiendæ sunt, quæ ubi deficiunt, homo
promissis stare nequit. Verum etiam hac de causa, quia Salomonis dictum: Ho-
mo proponit, Deus disponit, si libili, in hujusmodi certè pollicitationibus vel
maxime locum habet. Ubi varia, gravia & improvisa impedimenta interdum
à Deo ipso objiciuntur, quæ hominem, qui vel maxime promissa explere cupi-
at, quod minus iis satisfaciat, remorantur.

Idem mihi in hoc negotio accidit. Mox enim post editionem illam absolu-
tam manum operi admovi, sperans me citra moram diurniore illud expedi-
turum. Et quidem initio res satis feliciter procedebat, at mox infinita penè obsta-
cula me excepérunt, unde factum, ut hujus partis editionem in quartum usq; an-
num protraxerim. Nam cum jam ad umbilicum eam adduxisse, lethalis ille,
& ne nunc quidem plenè superatus morbus ante annum me crudelissimè invasit,
sicq; cruciavit & affixit, ut de toto opere prorsus desperarim.

Verum Deus, qui mortuos suscitat, & qui lasso dat virtutem, atq; infirmis for-
titudinem & robur multiplicat (Jes. 40, 29.) idem me quoq; ex singulari benigni-
tate ex mortis fauibus extraxit, atq; infuper novas vires mihi addidit, ut vel tan-
dem typographo id quod conscripseram tradere potuerim. Commendo autem
hoc ipsum, lector amice, benevolentia & candori tuo. Si intellexero, te cum fa-
vore hæc mea qualiacunq; excipere, animum mihi addes, ut de reliquis perte-
xendis diligenter cogitem, eademq; majori cum conatu urgeam, utcunq; alio-
quin labores mei in functione hac mea aulica crescant.

Ingenuè autem fateor, me saepius exoptare veterem conversationem cum
Reverendo & Doctiss. Viro, Dn. FRIDERICO Petri, Ecclesiæ Brunsvicensis mini-
stro, & seniore vigilantissimo, compatre & amico meo sincero; iste enim vir non
tantum crebris monitionibus ad ejusmodi labores continuandos mihi saepè cal-
car

AD LECTOREM.

car admovit: sed etiam diligentे sententiarum collatione s̄epius mihi occasio-
nem præbuit, de qvibusdam accuratius cogitandi, imo quædam etiam dexter-
us explanandi, qvæ alioquin sicco (qvod ajunt) pede præteriisse.

Tu ergo, candide Lector, tenuibus hisce meis notationibus, cùm nemo prod-
eat, qvi præstantiora in medium proferre velit, benignè favere digneris. Si expe-
ctationi tuæ satisfactum fuerit, una mecum Deo Opt. Max. gratias agito, qvi per
Spiritus sui gratiam clementer largitus est, qvicq; hic depromit: fin alicubi
defectus aliquos deprehenderis, humanæ illos imbecillitatē adscribit. Etsi in
qvibusdam me monendum censueris, liberè & candidè, modò sine acerbitate, il-
lud facito. Experieris, me omni studio, labore & solitudine in id incumbere, non
ut mundanam aliquam gloriam venerer, sed ut commune religionis negotium
pro virili promoveam, sicut Deo grata, Ecclesiæ utilia, mihi vero ad salutem con-
ducientia peragam. Qvod supereft, te non minus quam me ipsum omnipotens

Dei gratiæ commendo. Scriptum in Zabeltz Misniae, 30. Octobris,

Anno 1603.

LIBRI QUARTI DEDICATIO.

**SERENISSIMO SACRI
ROMANI IMPERII ARCHIMARSGHAL-
LO ET ELECTORI, DN. DN. CHRISTIANO II.
SAXONIÆ DUCI, THURINGIÆ LANDGRAVIO, MISNIÆ MAR-
CHIONI, MAGDEBURGENSIUM BURGGRAVIO, &c. DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO, ET OPTIME DE SE MERITO, HUMILITATIS, ET GRA-
TI ANIMI ERGO CONSECRAT, DICAT, OFFERT, POLYCARPUS
LYSERUS D.**

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.



Xhibeo, Christiane Lector, candido tuo judicio & censuræ,
rursus partem aliquam Harmoniæ Evangelicæ, dudum inchoa-
tæ & promissæ. Tardiusculè in ea progredior, fateor. Sed cuius
rei culpâd fiat, optime neverunt illi, qvibus crebræ & molestæ
mea peregrinationes non suntnotæ. Verè cum Patriarcha

Jacobo dicere possum: Dies peregrinationis vitæ meæ sunt pauci & mali, &
non pervenerunt usque ad dies Patrum meorum. Sed hoc Deo committo, cu-
jus est, cuiusvis vitæ cursum pro suo benefacito dirigere. Tu verò veniam
tarditati & moræ dabis. Si unius saltem atq; alterius mensis otium justum habe-
rem, mox altera pars hujus libri subsæveretur. Interim tamen hoc, qvicq; est
elaboratum, diligenter tuæ legendum, & candori judicandum offero.

Tu, si existimaveris, operæ pretium me fecisse, & laborem hunc esse, qvi cum
utilitate in Ecclesia legi possit, tuo favore me prosequeris, & precibus apud Deum
adjuvabis, qvō is sancti sui Spiritus gratiam, & tantillum quieti temporis cle-
menter mihi largiri dignetur, (qvod & facturum ipsum confido,) ut huic operi
propediem Colophonem feliciter imponere queam. Non opto iners otium, non
qværo diem humanum, (ut Propheta loquitur,) sed quietem honestam talem, qvæ
citra interruptionem cœpto opere progredi, illudq; secundum votum multorum
bonorum absolvere possim. Benè vale in Christo. Scriptum Colditzii 19. Augu-
sti, Anno 1608.

Polycarpus Lyserus D.
LIBRI



DEDICATIO LIBRI QVINTI.

SERENISSIMO
SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO
ET ELECTORI, DN. DN.

CHRISTIANO II.

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIAÆ ET MONTIUM DUCI,
THURINGIÆ LANDGRAVIO, MISNIÆ MARCHIONI, MAGDE-
BURGENSIUM BURGGRAVIO, DE MARCA ET RAVENSBURG
COMITI, IN RAVENSTEIN &c. DOMINO,

*Domino nostro clementissimo corporis incolumitatem & anime salutem
in CHRISTO JESU.*



ERENISSIME ELECTOR, Domine clementissime: Quan-
doqvidem Sereniss. T. Cels. partem primam libri quinti & ulti-
mi Harmoniae Evangelicæ venerandi parentis, D. Polycarpi Ly-
seri Sereniss. T. Cels. ante hac à concionibus, nunc piè in Domi-
no mortui , meo & fratrum nomine humiliter offerre constitui,
præter rem me facturum arbitror, si prolixius cauſas ejusdem recensere velim.
Agnovit enim parens p.m. agnoscimus & nos humili ac grato animo, omnia no-
stra, qvæcunq; à curta nostra suppelleatile unqvam proficiſci poterunt , Sereniss.
T. Cels. tanq;am nutritori nostro & benefactori summo & benignissimo, dicanda & consecranda, quæ non tantum Parentem nostrum etiam post mortem , cle-
mentissimā voluntate complexa eſt , sed & nos ejus hæredes propter hunc no-
strum Parentem clementiā & benignitate summā hodieq; proſeqvitur. Næ ergo
omnium ingratissimi eſſerūs , si non qvæcunq; ad veram ſubiectiſſimi animi
gratitudinem declarandam facere videntur, ſtuđiſſimē obſervaremus.

Noſtræ autem tenuitatis probè memores, nos officio ſatisfecifſe noſtro puta-
bimus, (qvī enim hoc temporis puncto jam aliter poſſumus ?) ſi paternis veſti-
giis iñſiftendo, id grati animi monumentum erigamus, quo ipſe ſuo qvodammodo
a n a r i a p p e n voluit. Hac ipſa namq; de cauſa conſtituit(idq; publicē extare vo-
luit,) opus hoc Harmonicum, ſi DEUS vitam viresq; ut ultimum ei fastigium im-
ponere licuiffet, largitus fuifset, Sereniss. T. Cef. Domino ſuo clementiſſimo, humili-
mè conſecrare. At qvia vita terminum, ſibi à Deo præſcriptum, priuſq;am ope-
ri huic Colophonem feliciter imponeret, appropinquare ſentiebat, propterea Deo
ejus, qvod ipſe hac in parte ſibi proposuerat, diſpoſitionem relinqvere cogebatur.
Monebat tamen me tum præſentem, ſerioq; injungebat, ſi forſitan vel particula
hæc, vel totum opus iterum prælo ſubjiceretur, Sereniss. T. Cels. ſacrum ut id eſ-
ſet, atq; humili m̄ dedicacione offerretur.

Cūm ergo jufſu & hortatu aliorum & hæc pars Harmoniæ (licet ab authore
non dum plenè abſoluta, multò minus recognita,) publicis exſcribenda eſſet typis,
Ecce,

EPISTOLÆ DEDICATORIÆ.

Ecce, Sereniss. T. Cels. hoc quicquid est sacri Operis devotissimâ animi subjectione deferimus, dicamus & consecramus. Nec dubitamus, quin Sereniss. T. Cels. eâ clementiâ & benignitate, quâ haec tenus priores Harmoniæ hujus Evangelicæ partes, amplexa est, hoc opus posthumum suscepturna, & suum Polycarpum vivum mortuumq; adversus qvorumvis calumnias & sycophantarum morsus Heroico spiritu tutum præstitura, nosq; ejus hæredes & deinceps clementi gratiâ prosecutura sit.

DEUS Opt. Max. Omnipotenti suâ dextra Sereniss. T. Cels. totamq; domum Saxonicam pietatis & literarum patronam exoptatissimam turbulentis hisce temporibus protegat, ad nominis sui gloriam & afflictissimæ Ecclesiæ salutem ab omni malo tutam, incolumem, florentemq; præstet, tandemq; immarcessibilem gloriæ Coronam imponat, æternumq; beati, Amen. Wittebergæ 15. Januarii, Anno Christi M. DC. XI.

Sereniss. T. Cels. subiectiss.

POLYCARPUS LYSERUS, SS. Theol. L. suo & fratum nomine.

finito annorum numero, dimidia scilicet hebdomadis, circumscriperit: recte Gerson dicit, potuisse Spiritum Sanctum, sub uno eodemque penitus & verborum & ordinis contextu, tradere gestorum verborumque Christi salutarem historiam. Sed non sine magno mysterio placuisse ipsi, sub quadam concordissima (si ita dici possit) dissonantia, mentes fidelium excitare ad humiliorem & vigilantiorem veritatis investigationem, quod palam fieret, quatuor Evangelistas non mutua conspiratione, sed divina inspiratione, fuisse locutos.

His causis motus, cum salutarem historiam, de vita & actis dulcissimi Salvatoris nostri Jesu Christi, à teneris amaverim, mediocri diligentia illorum lucubrations (qua quidem ad meas manus pervenerunt) tum veterum tum recentiorum, qui aliquid opera investigatione ordinis sive in Harmonia & consensu historiae Evangelicae posuerunt, perlustravi, & in singulis ea, qua momenti aliquid, ad explanandam & illustrandam Harmoniam Evangelicam afferre posse videbantur, notavi, atq; inde distributionem quandam historiae Evangelicae privatim mihi informavi, qua adjutus, συνοψις totius hi-

storiae, ordine quodam distributa, in conspectu semper habere, memoria complecti, & mente circumferre possem. Quæ ordinis observatio historiam illam dulciorem, gratiorem & illustriorem quodammodo mihi reddidit, ac multas pias meditationes & commonefactiones subjecit. Judicatum itaque fuit à fratribus, operam nec ingratam nec inutilem quibusdam lectoribus fore, si præcipua, quæ tum à veteribus tum à recentioribus, quæ quidem ad investigandam & constituendam Harmoniam Evangelicam aliquid momenti habent, observata & tradita sunt, in uno aliquo libello consideranda, & sicubi variant, conferenda proponerentur. Hoc consilio, ea, quæ de hoc arguento ante annos aliquod collegi, & in publicis prælectionibus in hac Brunsvicensi Ecclesia proposui, cœpi retexere, & in ordinem redigere. Quibus commonefactionibus & observationibus, si qui voluerint, eo, quo iqlis communicantur, candore utantur.

Priusquam vero ad ipsam Harmoniam prægrediamur: *ταπειγόμενα* quadam generalia de præcipuis capitibus, in quibus recte & ordine disponendis totius Harmoniae labor versabitur, præmittemus.

CAPUT II.

*De præcipuis Scriptoribus, qui ad investigandam & constituen-
dam Harmoniam historiae Evangelicae utiliter aliquid contulerunt,
& quam quisque rationem contexenda Har-
moniae secutus fit.*

DE Evangelistis, quomodo in monstratione ordinis mutuas inter se operas tradiderint, in præcedenti capite aliquid dictum est. Jam de Ecclesiasticis scriptoribus, qui in ilustranda Harmonia historia Evangelicae opera aliquid posuerunt, quædam annotabimus.

Et primus, qui hoc argumentum in Ecclesia vel tentavit vel tractandum suscepit, fuit TATIANUS, discipulus Justini Martyris, circa annum Domini 170. Cum enim prius præstantis ingenii Philosophus fuisse, postea ad fidem Christi conversus, ad duo illa utilissima quidem in Ecclesia, sed difficilima & summi laboris, ad Chronologiam scilicet Veteris Testamenti, & ad Harmoniam Evangelicam primus viam aperire & monstrare conatus fuit. Clemens enim Alexandrinus, lib. 1. stromatum scribit; Tatianum primum auctorem fuisse in Ecclesia inquirendi & constituendi certam aliquam rationem Chronologiae, in historia sacra Veteris Testamenti, atque inde, instituta collatione temporum ostendisse antiquitatem ejus religionis, quam Ecclesia protinet. Eusebius addit ipsum ex quatuor Evangelistarum descriptionibus, unum contextum historię, certo quodam ordine coagmentatum, collegisse. Oportet igitur magnæ

diligentia & præstantis ingenii hominem fuisse. Et tamen hic tantus vir postea ita lapsus est, ut auctor & princeps fieret horrenda hæresis Encratitarum, qui & matrimonia damnabant, & à carnibus atque à vino abstinendum docebant. Memorabili exemplo humanæ infirmitatis, ut magna ingenia dicant, in timore Domini se continere, οὐ φρονεῖς τὸ σωφρονέν. Ro. 12. v. 3.

Operæ autem precium est observare, quam rationem Tatianus, in contexta sua Harmoniae secutus sit. Hæc enim observatio ad nostrum institutum aliquid conferet. Eusebius igitur lib. 4. c. 27. scribit, Tatianum composuisse ex quatuor Evangelistis unam continuam narrationem historię Evangelicę, quam Eusebius vocabulis significantibus appellat συνάφεια, hoc est conjunctionem, connexionem, contextum seu coherentiam, & συναγωγὴ collectionem in unū, sive contractionem in compendium historię Evangelicę: quodque opus illud nuncuparit τὸ διάταξις ἀρχὴ, hoc est, unum Evangelium ex quatuor collectum. Et Tatianum in illa Harmonia Evangelica non mutasse, sed retinuisse verba Evangelistarum, inde colligitur: quod Eusebius quasi ex antithesi addit reprehensionem Tatiani, quod in Pauli Epistolis μεταφρασιῶν tentarit, quasi corrigeret volens compositionem dictionis Paulinæ. Præter hanc ex Eusebio non